

34. Prefatus interim presul, penitentia ductus quod iniquorum deceptus suasu, tam enormi depredatione nostrum gravasset locum et congregationem, sancti Godoaldi abbatiam¹⁾ propter prelibatum, ut ita dixerim, speleum latronum fundatam beato Benedicto dono dedit habendam.

35. Porro Gauzlinus abbas, nobilitatem generis probitatis exornans titulis, turrinam ex quadris lapidibus construere statuit ad occidentalem plagam ipsius monasterii, quos navigio devehit fecerat a Nevernensi territorio. Hunc etiam benignissimum cum princeps interrogasset artificum, quodnam opus iuberet adgrediendum: 'Tale', inquit, 'quod omni Gallie sit in exemplo'.

Chorum psallentium quoque pulcherrimo marmorum compsit emblemate, quæ asportari iusserat a partibus Romanie.

Fecit et analogium hispanico metallo compactum, diebus utendum feriarum, cuius basem, fusoria industria solidatam, quattuor vallaverat leunculorum pulchritudine²⁾; desuper columnam, trium cubitorum habentem altitudinem, fusili arte fabricatam, atque undique vario opere politam, in cuius centro volantis aquile radiabat similitudo.

36. Fecit et turibulum, aureæ materie massa formatum, mirifici quidem operis et copiosæ quantitatis³⁾.

Reliquum etiam gazofilatii, a suo antecessore inchoati, ad perfectum usque deduxit⁴⁾.

Rursus albam, auro undique rigentem, decem librarum mercatus est donatione ad sui loci honorem.

Poema Rabani, exaratum in laude sanctæ crucis, auro argentoque eleganter adornavit⁵⁾.

Oratorium in honore beati Iacobi consecratum, alterum etiam in commemoratione sancti evangelistæ Iohannis, lapideo velamine contextuit.

Fecit et oratorium in honore omnium Salvatoris, in quo peculiarium semper exigebat vota orationum.

Previdit equidem loco, cuius, prebente Deo, pollebat in pontificio; nam quodam⁶⁾ castrum Montem Aligrum dictum, maximam pestem, suorum a quibusdam adversariorum in Bituricensi gremio plasmatum, coepit⁶⁾, destruxit et ad solum usque diruit.

37. Huiusmodi boni pastoris exemplis propago illustrium provocata filiorum ad similia preparat animum. Primus Arnaldus, qui post eum monastici regiminis officio functus, Ausonie regna petiit, unde incomparabilia munera detulit, videlicet situlam argenteam auro intrinsecus suberatam, XX librarum dono adeptam.

1) Vielleicht Saint-Gondon, dép. Loiret, c. Gien (Delisle). 2) Hs.: pulchritudinem. 3) Cfr. auch Bouquet X, 106, A. (Delisle). 4) Mabillon, Acta saec. VI, 1, 51 (Delisle). 5) Dies bezieht sich möglicher Weise auf den Prachtcodex Vatic. Christ. 124. 6) Sic!